

Medicorum & Chymicorum eum consensum, quem fingere quis posset, concedendum esse. Quàm propè autem ad scopum veritatis collineet, iam iam dilucebit, si primùm dixerimus, veterum & recentiorũ decretis subnixi, de subterraneis nonnullis, quæ maiore metu percellunt multorũ animos, haud quicquam finistri verendum esse: dehinc in vniuersum, metallorũ & lapidũ vsum, intra corpus sumptorum, Galeni, aliorumq; assensu non improbari: cæterorum demum, æquè venenatorum & lethalium speciminibus, hæc itidem, quæ ex metallorum classe auersantur nonnulli, ad eam mediocritatis naturam, quâ opus est Medico, reduci posse: vt his singulis & omnibus diligenter & cãdidè perpensis, quiuis æquitatis amans perspecturus sit, eandem legem, quam deligendæ remediorum materiæ suaferunt antiqui, à Chymicis quoque obseruari.

B 4 CA-